

2815

C O D I C E S

2816

tum habeo, ut superiorem, ad quem revocat.

XIII. fol. 332. p. 2. Sequitur tractatus subtilis de peccatis in Spiritum sanctum. Initium: *Omne peccatum et blasphemiam remittetur hominibus &c. Postquam dominus declaravit falsitatem iudeorum &c. Finis: et ad hoc concurrat specialiter ad dei gratiam Amen. Autorem non reperio.*

XIV. fol. 339. Incipit tractatus Magistri Jordani Sacre theoloyce professionis de 65. articulis passionis domini nostri ihesu christi — qui distinguntur in septem partes principales secundum septem horas canonicas. Initium est: *Inspice et fac secundum exemplar &c. Jordanus hic est de Saxonia five Quedlimburgo O. Erem. Aug. de quo adi Ossingerum in Biblioth. August. p. 800. ubi asseritur Opus nostrum pertinere ad Postilla Jordani, de quibus egimus ad Cod. DCXCV. esseque editum separatim cum f. l. et a. 4. tum Argentinæ 1484. f. Itaque et Tritheimius jam illud ut opus peculiare adnumeravit. In Cod. praesenti Articulo 65. non ultra col. 2. progreditur.*

DCCLXVIII.

³⁰⁴ Codex chartaceus lat. Sec. XV. expirantis. Folior. nunc 23. f. per duas columnas exaratus continet Augustini de Campellis de Leonissa Aprutini O. E. S. Aug. anno 1435. ad Episcopatum Bovensem promoti, sed eo-

dem anno Romae mortui Expositionem Orationis Dominicae, cui verifimiliter olim in Cod. adjuncta fuerit Salutationis Angelicae Expositio. Prooemium incipit: *Augustinus de Leonissa in ordine heremitarum religiosorum minimus ex corporis inbecillitate a predicacionis officio penitus se retraxit dicens cum propheta Obmutui &c. Sermonis I. ex L. in quos Expositio dividitur, initium est: Pater noster. In hac vita nullum opus est honorabilius nullum levius et nullum utilius quam orare deum patrem &c. Deficit Codex in Serm. XXXVIII. his verbis: Secundum est carnis maceracio —. Extat vero teste Ossingero in Bibl. Augustin. p. 188. utraque Expositio impressa Coloniae 1502. 8. Editionem hanc secundam esse oportet; quae enim mihi objacet, subscribitur: *Coloniae apud Predicatores iam tercio diligentissima correctione Impressi (Sermones) Anno domini M. CCCCIII. die II. mensis Decembris 8.**

DCCLXIX.

Codex chartaceus lat. Sec. ⁵¹² XV. Folior. 240. 4. a diversa manu compilatus exhibet Sequentia: I. *Sermones XXVIII. de S. Augustino, quorum primus incipit: Vidi in medio septem candellabrorum aureorum similem filio hominis. Apocal. I. Quia sanctus Augustinus fuit eternaliter preuisus a sancta trinitate prebomifare lucem &c. Levis momenti. Ad oram inferio-*

feriorem fol. 1. notatur *Frater Matheus Hemerlin de Memingen*, fortassis O. S. Aug. et Autor.

II. fol. 57. p. 2. *Sermones VI. de S. Maria Magdalena*. Initium primi: *Maria optimam partem elegit, que non auferetur ab ea in eternum. Luc. XI. In hoc verbo duo proponuntur ad laudem sancte marie magdalene &c.* Nihil eximium prae antecedentibus.

III. fol. 153. *Catalogus breuis omnium presulum Saltzpurgen*. Ad Catalogum hunc cum illo comparatum, quem *Marc. Hansizius Germ. Sacrae T. II. p. 1034.* exhibet, sequentia observo. *S. Ruperti* obitum statuit ad diem pasce Anno Domini DC XXIII. quem admodum vetus *Calendarium Capituli Salisb.* cujus fidem infirmit *Hansizius* in *Corollar. ibid. p. 919.* Post *Vitalem* inserit *Ansologum, Sauolum* et *Ezium*, quos *Abbat*es tantum *S. Petri* fuisse l. cit. contenditur. Non abnuuit *Noster*; *Sauolo* enim subjicit: *In catalogo istorum episcoporum quinque abbates continentur. qui absque pontificali ordine et dignitate regebant episcopatum Iuuauensem. Hi vero sunt Ansologus, Sauolus, Ezzius, Bertricus et Ammilon. Flobargisum*, de cujus aetate nihil statuit *Hansizius*, electum ait a. DCC. XXI. et rexisse annis XXIV. In anno emortuali *Virgilii* DCC. LXXXIV. cum *Hansizio* congruit, atque illi *Berchtricum* et *Arnoni Amilonem* sufficit, quos tamen jam prius *Abbat*es meros dixit. Post *Piligrimum I.* comparent distincti *Ludebertus* et *Odilbertus*,

ut in *Chronico Canisiano* et apud *Hundium*, quos emendat *Hansizius* cit. p. 145. cujus *Chronologia* incipiendo ab *Egilolfo* sic factis cum *Nostro* conspirat. Omittit tamen hic *Conradum III.* puto, quod is ad *Ecclesiam* suam *Moguntinam* redierit, et *Burchardum I.* fortassis ob breve regimen, et sistit demum in *Bernbardo de Rorhis* verbis: *Electus est in Archiepiscopum. Anno Domini M. CCCC. LXVI. In die sancte Walpurgis virginis utique verus amator cleri et cultor sanctorum locorum, humilisque obsecutor beate Marie virginis. Quem Deus.* Quae verba cum recitet *Hansizius* p. 517. liquet, illi *Exempli* nostri notitiam et usum fuisse.

IV. fol. 160. *Episcopi Ecclesie Cbiemen.* Quae de *Episcopatus* erectione praemittuntur, castigata repraesento: *Anno domini. M. CC. XIX. (1215) Eberhardus primus Brixinen. postea eiusdem nominis secundus Saltzpurgen. ecclesie Archiepiscopus XVIII.* (si de confecto negotio intelligas) pontificatus sui Anno. Sub *Innocentio papa 4°.* (III. sub quo negotium coepit) consentiente sibi capitulo suo. III. kal. Januarii (1217) *Episcopatum in Insula Cbiemen. instituit. Quem postmodum Alexander* (*Honorius III. Innocentii III. 1216. Successor*) *Papa neapoli confirmavit primo pontificatus sui anno IX. kalen. Januarij* (III. kal. Jan. anno praedicto.) *Dicitur Eberhardus Archiepiscopus prefati Episcopatus electionem sibi et successoribus suis reseruauit. Et primum episco-*

*episcopum nomine Rugerum (Rudigerum de Radeck) instituit. Quae in hac narratione male cohaerent, Scriptoris incuriae debentur, qui prima erigendi Episcopatus consilia a. 1215. agitari coepta cum perfecta ejus Ereptione a. 1217. exeunti adfigenda confudit. Ita pariter lapsi sunt illi, qui Innocentio III. a. 1216. 16. vel 17. Julii defuncto vitam ad an. 1218. imo 1220. prorogavere. Porro, qui sequitur, XXII. Episcoporum Catalogus, Chronologiae nihil habet, aliqua tamen fortasse subpeditat ad eum perficiendum, qui Hundii T. II. *Metrop. Salisb.* edit. *Ratisb.* 1719. p. 162. f. legitur. *Fridericus Fronawer* ibi *Fronbower*, *Albertus Vanstorffer* ibi *Fronstorffer*, *Ludovicus Rüdelfofer* ibi *Kattlckover*, *Egkhardus de Perneck* ibi *Eberhardus*, *Engelmarus Kräl* ibi *Enelmarus* dicitur, et *Silvestri* cognomen *Flieger* omiffum est. At vero in Nostro desideratur *Ortolfus Talbaimer*, et *Engelmarum Johannes*, *Fridericus*que excipiunt, cum apud *Hundium Fridericus* praecedat, *Engelmarus* et *Johannes* sequantur. In *Cat. P. Richardi T. II. Diction. Univ. Ecclesiast.* *Gerbobus de Waldek Gebhardus* audit et in *Univ. Lexico T. V.* in *Gertboun* deformatus est.*

V. fol. 161. *De decem Praeceptis.* Re ipsa Tractatus duo: *De Dilectione Dei et Proximi*, et *De Praeceptis Decalogi M. Nicolai de Dinkelspühl* jam alias indicati, imo typis proditi cum aliis Ejus

Opusculis *Argentinae* 1516. f. verum hic uterque a fine truncus. Illud tamen observandum, praemitti hic prolixam fatis Introductionem, cujus thema: *Si vis vitam ingredi, serua mandata. Matth. 19.* quaeque incipit: *Verba sunt domini saluatoris que docent nos viam meriti salutaris, Circa que tria consideranda occurrunt &c.* et in *Edit. supracit.* non reperitur.

VI. fol. 233. *Passio christi.* Exposita videlicet secundum IV. Evangelistas. Exempla duo continenter in *Codice* scripta, quorum secundum fol. 248. paullo uberius, quod et Autoris nomen ad calcem exprimit, qui est *Albertus Patavinus* vir celeberrimus ex *Eremitis Augustinianis.* Vixit is in Sec. XIII. et XIV. confinio, ut habes in *Offingeri Bibl. August.* p. 668. ubi ejus Acta et Scripta recitantur. Inter haec *Sermones Quadragesimales* sunt, quorum utor edit. *Veneta* 1584. 8. Atque hos inter T. II. fol. 280. comparet noster, five *Sermo passionis D. N. I. C. in Parasceve et in ordine 261.* cujus initium: *Egressus est Jesus cum discipulis &c. Alijs quidem diebus alia sed bodie non iudicavi me aliquid scire inter vos nisi Christum ihesum et hunc crucifixum &c.* ubi Exemplum nostrum secundum prave: *Alijs quidem dies illa.* In *Impressis* porro *Sermo* totus in XVI. *Partes Passionis* divisus est, quarum I. et II. in primo nostro Exemplo deest. Secundum saltem in *Germania* descriptum fuisse patet ex verbis: *alz eyn trub dy an dy seyten ist geleget*

2821

H O M I L E T I C I.

2822

leget und neben offen ist und nyt oben, quae sub finem inserta sunt descriptioni Loculi, in quo depositum est Christi corpus, e Beata adductae. Autoris promissum: nec allegoricis aut tropologicis sensibus deuotionem uestram fatigabo, mox sub principium bonam spem facit de tota Tractatione.

VII. fol. 269. absque Autoris nomine Sermo alius de Passione Domini, qui incipit: *Inclinato capite emisit spiritum. Ut passionem dominicam intelligamus, dicendum est de passionis causa efficacia magnitudine quantitate memoria imitatione &c.* Atque his Exordii instar expeditis a Textu: *Egressus est trans torrentem cedron. Job.* XVIII. materiam ingreditur.

VIII. fol. 287. p. 2. absque titulo, Libellus de XII. Doloribus B. V. Mariae, qui incipit: *Primus dolor Marie est iste, de quo scribit Lucas, Cum Maria post natiuitatem filij sui LX. die quando presentauit filium suum in ierusalem &c.*

IX. fol. 298. Beata, ut e calce transfero, Passio Domini nostri Ihesu christi per horas (distributa) Magistri Heinrichi de Hassia. Initium: *In prima hora noctis christus discipulorum pedes lauit, suo corpore ipsos pauit &c.* Bern. Pezsius T. I. *Tbes. Anecd. Dissert. Isag.* p. 78. Nostri Tractatum de Passione Domini per septem Horas Canonicas e Codd. *Mss.* excitat, diuersum utique a praesenti, qui XII. Noctis, totidemque Diei horas percurrit, et a nemine, quod sciam, memoratur.

X. fol. 306. Sermo sermocinandus de doloribus morientium. Brevis Expositio quatuor Dolorum quos impius Peccator in fine patitur. In illud: *Circumdederunt me gemitus mortis &c.* Adiecta sunt quaedam de Resurrectione, et 7. Gestibus Christi patientis.

XI. fol. 310. Breues duo Sermones de Morte Christi in illud: *Nos legem habemus et secundum legem debet mori quia filium dei se fecit. Job. 19.* Prior incipit: *Verba ista sunt populi iudaici qui nunquam in lege Dei perfecte ambulauit &c.* Alter: *Pater reuerendissime, et alii reuerendissimi patres et domini mei pro declaratione huius thematis atque huius sacri ewangelij duo mihi occurrunt querenda utique et declaranda &c.* Cum et in priori Dominos suos identidem adpellet, eundem utriusque Autorem putem, qui ad calcem secundi subscribitur: *Jacobus de Terrano episcopus florentinus cubicularius bonifacij pape noni Anno 143 (1403) Pontificatus anni 14.* Jacobus hic Palladinus prius Archiep. Tarentinus Florentiam translatus est, Ugbello teste edit. *Venet. 1718. T. III. col. 165.* anno 1401. inde Spoletum 1410. De Scriptis Ejus nulla mentio.

Codex utrinque vestitur rhythmis quibusdam germanicis, quibus subiectum nomen *Hylprand von Berenn 1493.* Ineunt: *Mein Schweygennd fraw Muter Styll* &c. Levis momenti.

DCCLXX.